



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

8. Venerunt ad &c. Ad Consilium Basilense, quâ id monet se misurum esse
Nuntium: anno 1436.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1435.

laudibus commendamus. Ex quibus fit, ut ad eam rem diligentius animadvertendum esse videatur; A vobis namque uno modo conclusum est, Orator noster forsitan & verisimiliter alio modo conclusit, quid si uno tempore de eadem re duae variae & diversae fiant conclusiones, profecto ridiculum erit, & quod magis est forte ex hac dissensione scandalum pariturum, saltem non parum dedecoris nobis omnibus allaturum, quid praeterea si juxta modum conclusionis vestrae ad eam unionem pertingere, veluti expertissimi viri autumant, impossibile esse contingat, nonne ad pudorem & confusionem cedet totius Catholicae militantis Ecclesiae? Quae ne accidant sumo opere cavendum est; Illa igitur media nobis & venerabilibus Fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus eligenda videntur, quae breviora atque expeditiora sunt, & ad ejus sanctissimae unionis finem consequendum magis verisimilia; Haec non ad obviandum rebus per vos gestis scribimus, cum & ad eundem finem, quae vos operatis, nostra tendat intentio, & ideo nostra parum referat, qua via aut quo medio is finis sequatur, sed ad pleniorum informationem vestram, verum tamen ut nostram sinceram & puram voluntatem plane perspiciatis, si omissis, quae supra diximus, per eum modum, quo cum praefatis Oratoribus conclusistis, rem ipsam tandem prosequi intenditis, ex nunc pure & liberè nostrum, prout petitis, praebemus assensum.

Datum Florentiae anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo tricesimo quarto, decimo septimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

Jo. de Streccatis.

VII.
Ex Ibid.

Ad Concilium Basiliense qua suis Legatis fiducia à Concilio praestanda est: anno 1435.

EUGENIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in sacro generali Basiliensi Concilio congregatis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

PRO nonnullis Dei honorem ac bonum totius Republicae Christianae concernentibus, mittimus dilectos Filios *Nicolam* tituli sanctae Crucis in Jerusalem, ac *Johannem* tituli sancti Petri ad Vincula, Presbyteros Cardinales Apostolicae Sedis Legatos. Eisque aliqua commissimus Fraternalitatis & devotionibus vestris ex nostra parte referenda, de quibus placeat ipsis tanquam verbis nostris impartiri plenam fidem.

Datum Florentiae anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo tricesimo quinto, quarto decimo Kal. Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

Ja. de Arimino.

VIII.
Ex Ibid.

Ad Concilium Basiliense, qua id monet se missurum esse Nuntium: anno 1436.

EUGENIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in sacro Basiliensi Concilio congregatis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

VENERUNT ad praesentiam nostram dilecti Filii *Dyonisius Sabrevois* & *Henricus de Dieft* in Theologia Magistri Oratores vestri, nos inter caetera suis Orationibus praecipue exhortantes ad unionem Occidentalis & Orientalis Ecclesiae, quae res, dum in minoribus constituti eramus, cordi nostro infidebat ardent, post autem assumptionem nostram ad apicem summi Apostolatus hoc sanctum

opus ita desideravimus, ut nihil in animo nostro infit ardentius, quam videre ovile Domine Latinum & Graecum cum recta & vera Religione conjunctum. Cum autem nos ad pacem & Unionem Catholicae fidei & Ecclesiae sinceram voluntate dispositi sumus, vos hortamur in Domino, ut omnes curas & cogitationes vestras ad hanc Dei & fidei causam, ea charitate qua decet, conferre velitis. Caeterum quamvis assistentibus nobis venerabilibus Fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus dilectis Oratoribus viva voce responderimus, tamen de dictorum Fratrum consilio ad sacram Basiliensem Synodum prope destinabimus venerabilem Fratrem nostrum *Johannem* Archiepiscopum Tarentinum, qui nostro & dictorum Fratrum nomine, super postulatis ab ipsis Oratoribus particularibus, recte ac religiose respondebit.

Datum Bononiae, anno Incarnationis Dominicae, millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, sexto Kal. Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

G. Colini.

Bulla, per quam recommendat Imperatorem *Sigismundum* Baronibus, caeterisque Nobilibus *Pragensibus*, aliisque Civitatibus *Bohemiae*, affectionem suam erga Regnum ipsum, ejusque *Incolas* declarando: anno 1436.

EUGENIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Baronibus, Prae Civitatis Nobilibus, caeterisque Civitatibus Regni Bohemia, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

GRATUS Nuntius dudum laetificavit Animum nostrum, dilecti Filii, cum audivimus, quod pietas *Altissimi* insuderat *Spiritum Concordiae & veritatis* in Cordibus vestris cum reliquis Christi Fidelibus, de qua re quamquam consolationem in Domino susceperimus propter pacem & quietem vestram, & aliorum Christi fidelium, novit ille, cui corda & cogitationes hominum patent. Et quidem speramus, quod misericordia *Altissimi*, cujus miserationes sunt super omnia opera ejus, augebit in vobis gratiam suam, quodque virtus & devotio vestra lucebit in Dei Ecclesia, & erga nos summum Pontificem ostenditis debitam obedientiam & fidem ad Salutem animarum vestrarum. Quemadmodum etiam nobis retulit venerabilis Frater noster *Johannes Episcopus Sigenensis*, quem, suis exigentibus meritis, paternam dilectionem prosequimur; multa asserens de vestra devotione & affectione sincera erga Nos, & Ecclesiam Romanam, ex quibus rebus charitatem vestram, meritis laudabilibus commendamus, exhortantes vos, pie in Domino vivatis, ut gratia, quae data est vobis à Salvatore nostro, per vestra bona & laudabilia Opera fructum afferat uberem in odorem suavitatis. Inter caetera gratissimum fuit audire concordiam bonam vestram, cum *Charissimo in Christo Filio nostro Sigismundo, Romanorum Imperatore semper Augusto, Rege vestro*, quem cum summa Charitate diligamus, prout tanti Principis virtus & merita requirunt, exaltationem & statum suum, cum fuerit semper, & sit praecipuus noster & Ecclesiae Dei Defensor & Protector, augeri tota mente exoptamus. Itaque (prout decet subditos suo Regi parentes, ac debitam reverentiam & obedientiam praestantes) diligatis ipsum in sinceritate mentis & animi, cum ipse sit Princeps prudentissimus, ac diligat & amet vos, quotidie agens, quae sperat pertinere ad bonum vestrum, & Regni utilitatem. Nam petivit à nobis aliqua pro quiete & honore vestro & regni per organum Episcopi praefati, quae nos libenter concessimus, parati etiam in posterum omnia facere,

quae

ANNO
1436.IX.
Ex Cod.
Diplom.
Leibniti
Tom. 2.
pag. 154.